



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CVI. Differentia 32. Secundùm Canones maritus etiam post quinquennium
de adulterio uxoris queri & agere potest ad separationem thori,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 32.

Secundum Canones maritus etiam post quinquennium de adulterio uxoris queri & agere potest ad separationem thori, c. admonere 32. q. 2. At secundum leges post lapsum quinquennii non auditur: l. Miles, §. Adulterii reum. ff. de adulter, Ioann. Bapt. de S. Blasio 164.

I. **I**N l. Miles, §. citatus ita loquitur: Adulterii reum intra quinque annos continuos à die criminis admissi defunctâ quoque muliere postulari posse palam est. Et l. 31. eod. Quinquennium non utile, sed continuum numerandum est. Iterum l. 5. C. eod. Adulter post quinquennium, quàm commissam dicitur adulterium (quod continuum numeratur) accusari non potest: easque præscriptiones legibus reo datas auferri non oportet: est sententia hæc in foro sæculari recepta, & approbata. Causa reddi potest, *primò* vitiosa quædam hominum proclivitas ad innocentiam aliorum maculandam, l. Quamvis 30. C. eod. *Secundò* litium minuenda multitudine, ubi interdum nullus finis. *Tertio*, ut hæc sit quasi poena eorum, qui, cum accusare possent intra quinquennium, neglexerunt. Præsumitur enim non iustitiæ zelo, sed alio non laudabili studio ad litem intendere, nisi velis per ignorantiam excusare

II. Quod Canones attinet, quia in citato c. Admonere, septennii mentio fit,

quo à poenitente adultera exacto dimitti posse dicitur. *Glossa* querit. Nominè præjudicat sibi maritus tacendo per septennium, cum ultra quinquennium non audiatur adulterii accusatio? & respondet illud obtinere, quoad poenam legalem, non verò quoad divortium, l. Tna, de procur. Nunquid ergo in infinitum potest eam accusare? Dicunt quidam, quod non ultra 20. annos, l. Quærela, ad l. Cornel. de fals. Hugo dicit, quod ad millesimum, & quancumque claruerint crimina, l. Quicumque, dist. 81. c. Qui contempta, dist. 8. c. Ecce 24. q. 3. Eadem confirmat Sanchez. l. 10. de matr. dist. 3. n. 9. nimirum quoad divortium petendam nunquam præscribi ab adultera, sed integrum esse, quancumque tempore transacto innocenti conjugii divortium petere. V. l. l. Clarum §. Adulterium, n. 9. & 20. Tholos. l. 36. c. 6. Ferrnac. in Pract. crim. part. 1. q.

IO. No 20.

* * *